



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm In Ingelenheim Celebratvm Anno Domini DCCCCLXXII. Tempore
Doni Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

CONCILIVM ROMANVM
ANNO
CHRISTI
971.

QVO PRIVILEGIA MONASTERIO SANCTÆ
Mariæ Glastoniæ a rege Anglorum Edgardo concessa
confirmantur, anno Domini DCCCCLXXI. tempore
Ioannis papæ XIII.

NOTA.

Causa
Concilii.

^a *Concilium.*] Edgarus rex Anglorum & Dunstanus Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus Glastingabiri monasterium quoddam in honorem Dei & beatæ Virginis erexerant, plurimisque opibus ditabant: & cum metuerent ne posteris fortasse temporibus ab aliquo successore ea quæ ipsi pie sancteque fundauerant euerterentur, misso per legationem ad Ioannem pontificem foundationis instrumento, rogarunt illud auctoritate apostolica muniri & confirmari. Pontifex cum benigne directam legationem suscepisset, *concordi assensu, inquit Vvilelmus de gestis regum Anglorum, Romani Concilii sancita ab eis firmavit, scribendo apostolica auctoritatis praeceptionem, terribiliter intorquens in violatores, si qui forte emerferint, perpetui anathematis ultionem.*

VITA

DONI PAPÆ II.

ANNO
CHRISTI
972.

DONVS, qui ab aliis Domnus & Domnio nuncupatur, patria Romanus, factus est pontifex huius nominis secundus anno 972. duodecimo Kalendas Octobris. Qui, cum sedisset mensibus dumtaxat tribus, obiit decimo-quarto Kalendas Ianuarii.

CONCILIVM IN INGELLENHEIM

CELEBRATVM ANNO DOMINI DCCCCLXXII.

TEMPORE DONI PAPÆ.

NOTA.

Synodus
monitu Ot-
tonis con-
gregata.

^a *Concilium.*] Cum Otto imperator vna cum filio Ottone secundo in Germaniam reuertisset, ad componendas res ecclesiarum Synodum per episcopos congregavit in Ingeltenham: in quo quid

gestum fuerit nos præterit, nisi quod invita sancti Vdalrici episcopi Augustani legitur, quod ille relicto episcopatu ad monasticam vitam transeundi potestatem sibi fieri postulauerit, communique iudicio responsum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri sanctissimi aliis peccandi occasionem præbeat, qui in gratiam suorum nepotum, quos vellent ista ratione ecclesiis, non sine graui totius populi detrimento, obtruderent. Vide Baronium anno 972. num. 3. & sequentibus.

Vdalrico
quid negatum.

VITA

BENEDICTI PAPÆ VI.

BENEDICTVS patria Romanus, filius Hildebrandi, post obitum Doni subrogatus est in locum eius XIII. Kalendarum Decembris, anno Redemptoris 972. Huius temporibus Otto magnus imperator funeribus matris & Vvilelmi Moguntini episcopi præmissis mortuus est in Saxonia anno imperii sui duodecimo. Adelais relicta coniunx animam defuncti Ottonis mariti sui profecuta fuit iis pietatis officiis quæ a Vvitichindo in fine libri 3. describuntur. Post obitum patris Otto secundus solus imperare cœpit, qui cum patre sextum annum imperii sui inchoauerat. Benedictus a Bonifacio Francone Romano Fernitii filio, cardinale diacono, viro scelestissimo, captus & in carcerem detrusus, strangulatus est ab eodem, anno Christi 974. cum sedisset annū vnum, menses tres, & dies aliquot. Sedem apostolicam sacrilega cæde optimi pontificis vacantem sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus eius nominis reperitur alibi nuncupatus, violenter inuasit, eamque annum vnum & mensem tenuit. Hunc ego, antiquiores scriptores imitatus, inter veros & legitimos pontifices numerandum non esse iudicaui, quod sedem apostolicam turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post multa alia scelera & flagitia homo nefarius Vaticanam basilicam omnibus ornamentis suis expoliasset, Benedictus Albericorum, de quorum familia erat, ope & auxilio fretus, eum vsque adeo exagitauit, vt Roma relicta Constantino-polim abire cogeretur. Quando & qua occasione Romam redierit, dicam infra in vita Ioannis XIV.

Benedictus
VI. quando
pontifex factus.

Ottonis
imperatoris
mors.

Benedicti
papæ mors
qualis.

Bonifacius
VII.
pseudopontifex.